

40 3309/4. 3.
IOSEPHI AVRELII DE IANVARIO

REGII CONSILIARII

IVRIS FEVDALIS ANTECESSORIS

DE

IVRE FEVDALI

O R A T I O

IN PVBLICO NEAPOLITANO LYCEO

H A B I T A

VI. IDVS IANVARIAS AN. CXCICCLIV



EDITIO SECUNDA

L I P S I A E

APVD IO. CHRIST. LANGENHEMIVM

M DCC LVI

Digitized by Google

3

EACVHEALY

OFFICE

COMMUNICATIONS SECTION

WASHINGTON, D.C.



C A R O L O

NEAPOLITANAE
AC. SICVLAE. GENTIS
REGI. POTENTISSIMO
IN. LITTERARVM. PRAESIDIVM
SVpra. AVITAM. GLORIAM
FELICITER. NATO
FAMA. RERVm. GESTARVM
IN. OMNIS. AEVI. ADMIRATIONEM
NVmqvAM. INTERITVRO
HANC. DE. IVRE. FEVDALI
ORATIONEM
IPSO. ARGVMENTO. SPLENDIDAM
SCRIPTORIS. OPERA. TENVEM
NON. VT. RECEPTIS. BENEFICIIS
PAR. REDDAT
QVOD. PRORSVS. NEQVIT
SED. VT. BENEFICIORVM
MEMOR. SALTEM. VIDEATVR
QVOD. VNICE. POTES
IOSEPHVS. AVRELIVS. DE. IANVARIO

D. D. D.

0 5 0 0 0



DE
I V R E F E V D A L I
O R A T I O



RERVM humanarum longa, et tot
tantisque euentibus inuoluta series,
quamquam eo semper conspirare
visa fuerit, vt numquam societatis
vinculum, quo surgunt, adölescunt, perficiuntur
ciuitates, a forti nexu suo dissolueretur: veteribus
tamen non raro extinctis, ac nouis inductis, mori-

bus, prout aspera aut mitis locorum indoles, facilis aut seuera animorum inclinatio, feruens aut remissus sapientiae amor, tulit, nationum studia, et regnorum fortunam, ad variam effingendam colendamque viuendi disciplinam reuocauit. Assyrii, Medi, Persae, Aegyptii, abstrusioribus mysteriis, Religionis metu obuallatis, inclarescere, et gentes suas his secretis artibus moderari curauerunt. Graeci ab intimis Philosophiae penetrabilibus, quorum e sinu, sub dulci etiam fabularum lenocinio, in vulgi pectus praecepta excurrerant, gloriae patrimonium sibi quaerere contenderunt. Romani, ad maiora nati, ea triumphali aequitatis norma, qua non ad captiuitatem subeundam cogebant, sed ad recuperandam humanitatem, deuictas vrbes molleiebant; eaque animi magnitudine, qua solebant parcere subiectis, et debellare superbos, totius paene terrarum Orbis dominationem feliciter sunt assequuti. Sed vno quodam spiritu, atque vna mentis contentione, etiam quum ad barbariem deflexit posterior aetas, amplificandi

nominis cupido populos, quamuis rudes, et doctrinarum cultu aut nihil aut parum expolitos, in antiquitatis aemulationem, inuasit. Decessit quidem nitôr ille, ac elegantia, qua suo decorata lumine effulsit Sapiencia; sed non elanguit omnino: immo robustior potius sub duro cortice latuit, et maiorem vim pallido quodam aspectu explicare visa est; ita sane, vt, quod venustati detraxit corruptus ad eruditionem palatus, addiderit solidae doctrinae inclinata ad seueritatem industria. Quamobrem illud verum non est, inuentionis laudem vnice veteribus datam, posteris solam imitandi facultatem. Sua non defuit singulis tempestatibus, non sine plausu recepta, nouarum rerum excogitatio: nec semper animos torquet ac dilaniat praeteritorum temporum inuidia; quum illos foueat quandoque, extollatque, recens repertarum utilitatum felix superbia. Itaque consépulta Orientalium potentia, in solitudinem versa Graecorum tellure, deleta Romani imperii maiestate, et veluti mutata totius Mundi facie; nouae inuentae cogitandi

tandi imagines, nouae constitutae viuendi regulae; quas, ad externas repellendas iniurias, ad internam fouendam pacem, in tutelam suam tot regna ac prouinciae susceperunt: iis praecipue seculis, quum populi, rusticitate morum potius, quam commercii et societatis iure cogniti, e patriis sedibus emerfi, aliisque quaerendis dominiis accensi, arma victricesque copias, per Italiam praesertim, hoc nempe amoenissimum voluptatis ac abundantiae domicilium, circumtulerunt. Tunc Feuda instituta sunt, quasi opportuna captandae beneuolentiae, auxiliique parandi instrumenta. Ex his noua in lucem prodiit Iurisprudentia, non hispida ac ferox; sed mitis ac decora, tantisque rationis aequitatisque adiumentis ornata, vt, quae fuit apud Romanos hereditaria quaedam et plena nobilitatis Facultas, licet nouae huic in doctrinarum caligine natae Iurisprudentiae auitos fasces non submittat; laudum tamen suarum participem admittere, nisi forte etiam aduersariam pati, coacta sit. Quapropter non immerito conqueritur Iacobus Cui-

cius ; eosque abnormis deprauatique iudicii accusat ac damnat , qui ceteras iuris partes se tenere, non sine fastu, profitentur ; hanc quasi barbaram, atque exotica veste praecinctam, non sine stomacho reiiciunt. Quod adeo ipsi visum est indignum, ut hoc, e pudica fronte, improbum dedecus elegantissimae huic matronae auertere studuerit ; editis ea, qua pollebat, diligentia et acumine, in libros Feudales, absolutissimis Commentariis. Egregiam huius scientiae dignitatem , quocumque aeuo imperaturam, in hoc ipso mei explendi muneris vestibulo, etsi non quantum res postulat, (postularet enim multum,) quantum tamen meae sinunt vires, nullis eximiis dotibus praeditae, nec leuiter redundantibus clamosi Fori negotiis occupatae, in hac florentissima clarissimorum Virorum corona, adumbrare potius, quam fusc recensere, aggredior.

Interea ad te , CAROLE, Rex sapientissime, publicae nostrae tranquillitatis custos ac moderator, bonarumque Artium vindex praesentissime ac tutor, priusquam ulterius procedat oratio,

praestat me conuertere; et gratias tibi agere quamplurimas, pro demandata mihi Iuris Feudalis docendi prouincia; non merito quidem meo, quod sentio quam sit exiguum, sed singulari beneficentia tua, de qua licet multa praedicauerim, parcus semper, numquam nimius, videbor: atque eas ago gratias, quas non verba explicant, sed quas animus concipiat. Certior quippe sum, verba desiderio paria mihi deesse; animum immenso obsequio non carere: et, uti ab humanitate tua sibi veniam expectat sermonis mei pauperies; ita ab indolis tuae magnitudine, quod sinu foueo, grati animi pignus, tuam sibi pollicetur Regiam comitatem. Vnum tamen hic nequaquam praeteribo, me de hoc collato honore, ea potissimum de causa, gloriari, quod abs te, optimo Principe, veniat; cui supra ceteros, quos iactat antiquitas, quos nostra aetas recenset, felicitas, in Sapientiae gremio reposita, cordi est. Satis enim superque perspectum habes, sine scientiarum praesidio, sine interioribus litteris, maxima Reipublicae pernicie,

ignorare populos, quid Principi, cui parent, quid Patriae, in qua viuunt, quid debeant sibi ipsis, quos non ad priuata commoda, sed ad communia fouenda officia, et suis igniculis natura, et institutis suis ratio societatis inuitat. Sub tuo igitur faustissimo Numine, grandiore animam induo; et sorti meae tutissime spondeo, ut, qui humilis, langueret in me spiritus, te duce et auspice, altius affurgat, et sublimia, non vano tentamine, meditari ac suscipere conetur. Quod Deus bene verat, Auditores ornatissimi, linguis atque animis fauete.

De Iuris Feudalis praestantia verba factururus, illud inprimis, quod ad finem spectat, illustrem quidem ac generosum, vnde Feuda (vox antiquitati incognita, et tantis Interpretum coniecturis dilaniata potius, quam explicata) in usum venerint, silentio non inuoluam. Irruentibus enim per alienos agros exteris nationibus, pacemque ac otium nostrarum praesertim regionum peruertentibus; vis atque audacia, operum administra; pectore

conceptus dominandi furor; et omnis posita in armis acquirendi, seu potius occupandi ratio; eorum temporum sortem ac cursum, in maxima hominum perturbatione, miscebant. Principes, ut, quae sine iure inuaserant, non sine valido patrocinio custodirent; quae sine pudore inhiabant, non sine facilitate assequerentur; quamque in alios nulla de causa inferebant iniuriam, a se ipsis caute auerterent; ope, consilio, fide, ac constantia eorum, quos suis legibus submiserant, indigebant. Coeperunt proinde victoriae ferociam mansuetudine emendare; usurpationis odium munificentia lenire; et tristem propriae infelicitatis praeconceptionem a subditis opinionem utilibus institutis extinguere. Hisce argumentis, ea, quae ex sua indole parum tuta est, firmabatur ambitio; quique iniustae direptionis compotes sequitur plerumque, amittendi timor, in spem conuertebatur securae possessionis. Collatis enim, ab exercituum ductoribus, nouarumque gentium dominis, in veteres urbium habitatores beneficiis, (quo nomine Feuda prius

prius appellabantur) illos, in expeditionibus, itinerum comites; in obsidionibus, militarium laborum socios; in praeliis, seu periculi seu victoriae consortes sibi adiungebant. Donis inuicem humana pectora obstringuntur: et hac mutua ac amabili necessitudine, neque fides sine animi turpitudine deseritur; neque obsequium sine improbitatis vitio relinquitur; neque seruitium sine perduellionis nota recusatur. Prouidas hasce concordiae inter dominos ac vasallos seruandae constitutiones, aut praeteritarum aetatum politici ignorarunt, aut opportunis legibus, quae ex vñsibus Feudalibus manant, obfirmare praetermiserunt. Posterioribus annis haec ampla officiorum messis, et mystica quaedam solenniter pacti foederis institutio destinabatur; vt tutius Principes regnarent, alacriter subditi seruirent; minus insidiis, magis amoris pateret locus: quodque imperio et auctoritate, parum ad conciliandos animos idoneis, difficilius poterat comparari; honorum pretio, tamquam ad firmandam fidem incitamento, facilius comparabatur.

Accessit, quod est huiusmodi foederis arctius vinculum, Iusiurandum, maximum inconstantiae ac perfidiae frenum; vt, quae insita est homini, naturae stimulis, erga benemerentes vehemens referendae gratiae cupiditas, Religionis sacro quodam horrore, quo vel ipsummet indomitum scelus inuito rubore suffunditur, vassallos, saepe in aestuante affectuum tumultu nutantes, in firmiorem domini securitatem adigeret, ac retineret. Hoc ferme pacto simul coeunt Pudor et Pietas: ille honestati obsequium non negat: haec Deo reuerentiam non subripit: et vtroque hoc nexu coercetur tum inter homines inuerecundia, quae infamiae poenam subit, tum erga supremum Numen temeritas, quae grauiorem timet ac expectat vindictam. Quis igitur est, qui non videat, qui non profiteatur, quam sapienter isthaec omnia excogitata sint; quam vtiliter accepta, quam constanter in commune bonum retenta?

Praeluserat quidem, nescio quae, apud Romanos in clientelis, quas Romulus instituerat; postea

in colonis glebae adscriptis; in praediis demum ab hoste captis, militiaeque ab Alexandro Seuero, et Constantino Magno distributis, Feudorum imago: sed leuiter, et veluti e longinquo adumbrabatur Feudalis disciplina; magnificentior in posterum futura, et honorum copia, quâ oblectamur; et titulorum splendore, quo innotescimus; et iurisdictionis exercitio, quo dominamur; et decora publicae administrationis societate, qua nobis aliisque prospicimus. Quibus praesidiis nusquam alias cognita, nusquam tanto lumine praedita, emerfit legum materies, quae solidiorem meruerit, sibi que comparauerit existimationem.

Porro, vt hac in re sua constaret norma, suoque ordine Feudalis doctrina regeretur, multa sagaciter et acute constituta sunt. Feudorum diuisio eximiam Principum curam, interioremque quamdam prudentiam explicat praecipue ac commendat. Alia enim Feuda precario data; alia annua; alia intra vitae curriculum seu dantis, seu recipientis, circumscripta; alia perpetua; alia noua;

alia antiqua, et, vti dicunt, paterna; quaedam nobilia; quaedam rustica; nonnulla in re immobili, quae propria sunt; nonnulla in praestationibus, quae Feudalem naturam imitantur, constituta; item, alia diuidua, vt Longobardis placuit; alia indiuidua, vt Francis visum fuit; tum quae ex pacto et prouidentia, quae hereditaria, quaeque mixta appellantur. Singula suis non carent rationum momentis; leges habent peculiare, quibus gubernantur; atque ita diriguntur, vt, quamuis in se ipsis diuersa, vnum tamen corpus efficere; atque vno spiritu animari videantur. Hic enim varius Feudorum apparatus, remunerandi vicem grauitate sustinet ac moderatur, pro varia personarum conditione, pro diuerso temporum statu, pro seruitiis aut leuiter aut magnifice praestitis; aut tardius aut celerius exhibitis; aut minus aut magis prospere impletis. Habet quidem munificentia suos gradus; a quibus discedere, inconsulti animi vitium est; intra quos contineri, mentis bene compositae laus est eximia: namque ea in conse-

rendis praemiis commendatur industria, quae concedentium exacta lance regat arbitrium, et meritum accipientium iusta mercède compenset: ita sane, ut nihil detrimenti capiat aut Principis liberalitas intemperantia largitionis, aut subditorum fides beneficii tenuitate, aut Reipublicae status ipsius munificentiae abusu.

Nec sat erat, Feuda in hunc varium censum referre, ac partiri: altiori opus erat consilio, ut in Successionibus nova constitueretur forma, quae, quantum a communi iure distat, tantum ad splendidiorem aequitatem accedit: ea namque, quae Romanis legibus longe lateque spatiatur de re sua disponendi libertas; non in speciem miserae servitutis, sed in saluberrimam utilitatis tutelam, Feudatariis inhibetur. Definita quippe est intra familiam successio, quae sanguine coniunctos inuitat, extraneos repellit; domesticum perpetuat decus; improvidam cohibet facilitatem, alienae non fauet aucupationi; validiorem plerumque

C

sexum

sexum vnice admittit; aliquando debiliorem non excludit; vniuerse proximum gradum remotiori antepōnit; non raro, inuerso graduū ordine, genio seruandae diutius agnationis indulget, ac feminis proximioribus masculos praefert remotiores. Hac paratissima via effectum est, vt beneficentiae memoria, qua quisque ad obsequium excitatur ac impellitur, ab ipsis honorificentissimis consanguineorum laribus, nōcūo inuisoque discessu, egredi nequeat; quotidie, gratissimo ac triumphali aspectu, ante oculos obuersetur; grandem pretiosamque nobilitatis dotem non comminuat; augeat, diuturni temporis priuilegio, acceptam a maioribus, quam illi sudoribus compararunt, amplam splendidamque fortunam.

Verum enim vero longius excurreret sermo, et legitimos pudicae orationis fines violaret; si cuncta, quae ad huius scientiae dignitatem ostendendam conferri possent, recenserem. Neminem quippe fugit, (vt paucis multa colligam,) quanta

quanta sit in prohibendis alienationibus, non sine domini incolumitate, ac vasallorum compendio, mira quaedam cura ac singularis; quanta in praestandis assensibus iuxta necessitatem benignitas, nec extra decorem repulsa; quanta in contractibus ineundis castitas ac religio; quanta in exercendis iudiciis sine furo grauitas, sine quauis perniciē indulgentia; quanta in purgandis criminibus non inuisa seueritas, non praeceps consilium; quanta nouarum legum cum antiquis innocens discordia, cum ratione admirabilis conuenientia; quanta diuersorum Ordinum conspiratio, priuatis publicisque commodis eo magis opportuna, quo magis in ipsa varietate partes, inter se dissimiles, in vnum colligit, ac perfecte componit.

Haec omnia, quae Feudalis Iuris regnum dilatarunt, sua in origine, non ex promulgatis Principum legibus manarunt: quae, vti futuram praeuident vtilitatem, eamque sedulo sperant; non tamen semper, inopinato multarum causa-

rum concursu, vt vellent, pro voto assequuntur: sed ex vsu ac consuetudine, prono quidem alueo, nulloque impulsu, prouenerunt. Vsus autem ac consuetudo, veteris disciplinae custodes, occultoque pollentes imperio, experientiam, diuturnis moribus probatam, et cuiusuis obstaculi victricem, suauiter firmanz, ac valide tuentur; receptamque vtilitatis opinionem, quae non falso nascitur; nec temere sustinetur, perenni successione in omne aeuum producant. Hinc non alia huic Iuri apposita est epigraphe, quam **CONSVETVDINES FEVDORVM**: hosque non publica in medium tulit auctoritas, vt maiorem obseruantiae vim adderet; sed priuata collegit industria; vt posteritati, veluti conscripta talium institutionum historia, consuleret. Nonnulli hac in re elaborarunt ante Cuiacium. Is vero, Interpretum princeps, qui quantum illustrandae Iurisprudentiae contulit ingenii, tantum in componendo in suas partes iure adhibuit diligentiae, rem omnem

omnem Feudalem quinque libris conclusit: in tribus prioribus, quae Gerardus Niger, ac Ober-tus de Orto conscripsere; in quarto, quae a variis antiquis auctoribus tradita sunt; in postremo, qui opus coronat, Imperatorum Constitutiones, quae ad Feuda pertinent, lectissimo quodam fasciculo, nitidissime contexuit. Romanam imitati sunt Col-lectores vmbatilem, vt ita dicam, ac domesticam diligentiam: priuatim enim, post exactos Reges, in vnum volumen contulit illorum iura Sex. Papy-rius; ex formulis et legis actionibus, artificio ve-terum Iurisconsultorum conditis, eductisque e sa-crario Pontificum, librum edidit Flavius Scriba: Imperatorum ab Adriano vsque ad Valerianum, et Gallienum sanctiones, antea vagas atque confu-sas, in peculiarem Codicem Gregorius coniecit: hunc alter excepit, ab Hermogeniano exaratus, qui posteriorum Imperatorum vsque ad Constan-tinum euulgatas leges complexus est. Id quoque seruatum in Graecis ac Latinis Canonum Colle-

tionibus, in quibus viri ecclesiastica doctrina egregii, ex suscepto per se ipsos instituto, in vnum corpus Ius Sacrum redigere studuerunt. Maior tamen, mea quidem sententia, rei Feudalis Collectores manet gloria; vti maior ab ipsis adhibita diligentia, maius a nobis acceptum beneficium. Ceteri ius certum, ius cognitum, ius constans simul componere, curae suae dederunt: Nostri ius non scriptum, ius varium, ius paene obscurum; cuius, si hoc ipsis defuisset nobile propositum, peritura in posterum memoria, vel ita tenebris misere obruta ad nos fuisset peruentura; vt vanis prorsus harrilationibus, implicatisque mysteriis, campus pateret latissimus: singulorum fluctuaret opinio; neque ea, quae foret modesta, difficultates fugeret; neque audax careret patrocinio.

Sed non in hisce tantum, quos ab antiquitate accepimus, libris tota concluditur Feudalis Iurisprudencia. Europae Principes, qui Feudorum instituta adoptarunt, vti ex ipso regnandi ingenio,

genio, atque ex iis, quae quotidie suboriuntur, morum conuersionibus, nouus sese explicabat utilitatis aspectus, saepe praestantiori dote auctis, saepe in meliorem formam reductis antiquis legibus, hanc Facultatem suis constitutionibus ditarunt. Illius tamen confinia in hoc Neapolitano Regno, et sub varia nostrorum Regum, siue hic, siue alibi degentium, dominatione, supragentes alias quam maxime amplificarunt tot Constitutiones, Gratiae, Capitula, Priuilegia, ac Pragmaticae; quibus haec Iurisprudentia, nescio cuius abdita castigataeque sapientiae auxiliariis copiis communita, ad eum dignitatis apicem peruenit; ut nullibi magnificentius sibi parauerit domicilium; nullibi doctiores exceperit alumnos, nullibi diuturniorem Academiae ac Foro conciliauerit nominis celebritatem. Qua de re merito laetamur; et amplissimo honori nostro tribuimus, magnis initiis ortam hanc Facultatem, maioribus additamentis, beatiori quodam fato nostro, per nos ipsos fuisse non sine summo

mo studio excultam, nec sine ingenti gloria propagatam.

Postquam isthaec cursim delibauimus, illud addi locus flagitat; vt immensum, quod Iuri Feudali cumulatum est decus ex tanta Scriptorum copia, qui in eius interpretandis legibus operam nauarunt egregiam, pro coronide sub oculos ponamus. Et sane nullum est in vnaquaque scientia luculentius praestantiae argumentum, quam impigra ac frequens ingeniorum contentio in eius referendis arcanis, vt ratio eluceat; in componendis diffidiis, vt pateat concordia; in definiendis regulis, vt vitetur fallacia; in similibus comparandis, vt rerum inter se constet nexus; in deducendis consequentibus, vt Marte suo liberum spatietur ingenium: quod sperandum non foret, nisi animos ipsius scientiae non ingrata necessitas impelleret; cognita vtilitas alliceret; vnanimis consensus, quique ex hoc, efficax magnorum operum impulsor, plausus suboritur, abunde confirmaret. Nouae enim

enim doctrinae, quae suo robore destituuntur, mentitaque facie imponunt, si primum fatuo quodam impulsu arripiantur, continuo deferuntur: veluti fugax, quod coelo sereno accenditur, aestiuum lumen, simul ac repentino infirmoque splendore oculos deludit potius, quam excitat; statim praeceps dilabitur, et cum nocturnis umbris, sua breui luce orbatum, miscetur. Sed Ius Feudale, ubi apparuit, sine mora auide exceptum est, sine cessatione serio perpensum, atque egregie illustratum: neque umquam, tot reuoluentibus annis, in tanta rerum vicissitudine, sub tam dissimili regnantium arbitrio, diminutam vidit doluitque suam dignitatem; immo a tot tantisque clarissimorum virorum eximiis monumentis, quae hactenus edita sunt, quaeque non indiligens nepotum cura in lucem proferet, immortalem sibi spondet vitam, et progressus exspectat ampliores.

Quod si Legum Romanarum maiestatem famamque metimur, ac extollimus ex hoc ipso, quod

D

summi

summi viri, penitiori doctrina imbuti, siue in XII. Tabularum iure interpretando, siue in explicando Edicto Perpetuo, siue in aliis. subinde enatis legibus enodandis, mentis diuitias vberime effudere: quid est, quod ex hac parte suam non agnoscat egregiam ingentemque sortem, ac non innocue superbiat Feudalis disciplina; quae a bene auspiciis suorum natalium primordiis magnanimos tot doctissimorum Scriptorum conatus ad se, tamquam ad diuitem nouae Iurisprudentiae penum, reuocauit? Inuidemus profecto Romanis fastis, suos iactare Coruncanios, Aelios, Atilios, Catones, Sulpicios, qui magnam sibi gloriam, florente adhuc Republica, adepti sunt; quosque insequens aetas sub Imperii fastigio numerat quamplures, Scaeuolas, Papinianos, Paullos, Vlpianos. Sed hanc seu reparant omnino, seu saltem valde immuniunt per pectora nostra serpentem inuidiam insignes in hoc argumento Prudentes, qui varia quidem fortuna, sed eadem semper sedulitate,

tate, pari semper acumine, Ius Feudale tractarunt.

Dum enim inculta adhuc, sed non plane inanis ac contemnenda imperabat doctrina, magna Scriptorum turba huic operi manus non sine merita laude admouit; inter quos eminet in confiendis Glossis accurata Iacobi Columbini diligentia; in compingendis Summis dilucida Iacobi Ardzonii breuitas; in exarandis Commentariis subtilitas et argumentorum copia Iacobi de Beluifio; in solidioribus firmandis Opinionibus auctoritas Baldi; qui postquam Ius Ciuile annos septem supra quadraginta fuerat professus, quasi ad sanctiora limina, ingrauescente senio, accedens, Feudalibus controuerfiis enucleandis postremos dicauit labores, diuturno legalis doctrinae usu, et subacto longaeuae aetatis iudicio, praestantiores. Felicissima postea tempestate, sublato barbariae velo, politioribus litteris postliminio restitutis, accensa historiae face, et communi plausu exceptis Graecae

Latinae linguae deliciis; quando e squalido luri-
doque, quem prius induerat, angustiore habi-
tum, ac matronalem formam accepit Sapiencia;
Feudalis quoque Iurisprudentiae fatum, non leui,
qua inuoluebatur, fugata caligine, nouam purio-
remque lucem explicauit, et decentiori vultu in
medium prodiit. In Gallia enim, inclyta illa
cultioris litteraturae sede, vbi Iurisconsultorum fa-
milia singulare genti suae, in Iure Romano, orna-
mentum addidit; non dedignati sunt plurimi,
qui magna fama inclarescunt, praesertim Cuiacius,
Duarenus, Hotomannus, Eguinarius Baro, no-
mina aeternitati consecrata, rerum Feudalium co-
gnitionem, ab antiquis fordibus manumissam, vi-
riliter promouere, et latissime diffundere. In
Germania etiam, eruditis laboribus assidue exer-
cita ac penitus indurata, perenne Feudali disci-
plinae decus attulere Vulteius, Giphanius, Struuius,
Thomasius, quique Legum studio Philosophiam
egregie coniunxit, Christianus Volfius.

Apud

confundit An-
thor Jacob.
Gehr. Wolfium,
lentem
fopho.

Apud nos, in hac pulcherrima totius Italiae regione, sub utroque doctrinae apparatu, siue intra barbariem inuoluto, siue elegantis referto, complures Iuris Feudalis periti, alii natalium splendore, alii Magistratus dignitate, alii munere huiusmet Iuris in hoc Regio Gymnasio docendi, alii sublimi omnium harum dotium coniunctione, faustissimam annalium nostrorum memoriam cohonestantes; diuturnis vigiliis, summo conamine, et admirabili successu, hanc disciplinam, exterorum cura sapienter pertractatam, luculentius explicare, vberiusque extendere, sategerunt. En Andreas de Ifernina, huius Iurisprudentiae fax, interpret consummatissimus; utinam aequae felix vitae exitu, qualis fuerat in cursu: vixerat enim, uti cunctis dignus, ita cunctorum particeps honorum; scelestam tamen manu interfectus, supremae necessitati miserrime paruit. En Paris de Puteo, Alfonsi Regis a consiliis, Ferdinandi eius filii praeceptor, multarum urbium, ad colligendas sapientiae opes,

peregrinatione, tantisque editis operibus immortalitati dicatus. En Antonius de Alexandro, nostri Sac. Reg. Conf. Praeses: Matthaeus de Afflictis, benigniorem in iuuenta, quam senio, expertus ludentis fortunae aspectum: Scipio Capycius, non minus legali, quam poetica laurea comas praecinctus: quique grauissimas in hisce excolendis studiis curas locarunt, aliis neque ingenio neque sedulitate impares, Bartholomaeus Camerarius, et Marinus Freccia. Quid de iis dicam, qui recentiori aeuo floruerunt? Inter quos reticendi non sunt Iosephus de Rosa, viuido mentis acumine, et firma arguendi contentione, eximius: Caietanus Ageta, multigena nostri Regni notionum supellectile praeclarus: quique instar omnium est, Franciscus de Andreis. Is quidem litteras, hoc patrio solo iamdiu consépultas, e tumulo, vbi lacrimabiles iacebant, in vitam reuocauit; electamque in scribendo eruditionem, ac robustam in orando eloquentiam, antea exules, et auide in hoc dulcissimo Sirenum hospi-

hospitio placidum aeternumque optantes contubernium, bono omine excepit, pristinaeque amplitudini restituit. In hunc quoque ordinem referendi, Petrus de Fusco, Seraphinus Biscardus, Nicolaus Caraita, Caietanus Argentius, non multis ab hinc annis, communi desiderio abrepti; qui, in nostrorum Procerum Feudalibus caussis tuendis, nihil, quod ad nitorem, nihil, quod ad robur, nihil, quod ad noua excogitanda rationum momenta, et inueniri et coniungi posset, in abstrusioribus quibusque huius Facultatis quaestionibus, praetermiserunt: ita profecto, ut illorum fama, laudum foecunda, inter Curiae subsellia, in cordatiorum hominum congressibus, per proximas remotasque gentes, magnifice resonet, et peruagetur; tamdiu prospere duratura, quamdiu suis bonis artibus honos, suum rei Feudali decus constabit.

Nunc fortasse superest, ut eos, qui hac aetate, ad confirmandam Ciuitatis nostrae magnitudinem;
ad

ad excitandam quarumcumque dominatricium nationum admirationem, nobiscum vna viuunt; inque supremis Tribunalibus, aut nobilissimo aduocationis instituto, aut togato iudicandi ministerio, facundiae doctrinaeque specimen quotidie exhibent, (quorum partem potissimam in hisce augustissimis aedibus, summa humanitate adstantem, et, non sine redundante animi mei voluptate, dicta mea benigne excipientem, circumtueor,) pro ipsorum merito commemorem, ac extollam. Sed verecundiae ratio, quae laudes, in os conspectumque eorum proferendas, respuit; temporis excursus, qui longiorem, ut oporteret, non patitur moram; dicentis imbecillitas, quae non ornaret, sed imminueret commendationem; cogunt me ab hoc proposito abstinere. Ceterum, in obsequium cedat ipsum, quo vtor inuitus, silentium: et saltem, quomodo hi forent laudandi, ipsa mea palam faciat, quam ingenue profiteor, debitae contexendae laudationis impotentia. Sed ut vela tandem

dem Orationis meae contraham, verbo concludam: Ex tot in humana societate institutis Facultatibus hanc Feudalem, prae suae dignitatis praestantia, nulli cedere; multis ob Reipublicae utilitatem praeesse; nusquam, nisi collapsis communis boni fundamentis, posse extingui.

Eia igitur, bonae spei Adolescentes, hoc fortunatissimo seculo nati, sub hoc mitissimo coelo enutriti, virtuti propositis a tanto PRINCIPE, quo regimur, praemiis allecti, in hanc, quouis laudum cumulo maiorem, suoque merito abunde dotatam, Iuris Feudalis disciplinam, feruido affiduoque nisu, incumbite. Quanti ea sit habenda, ex ipsius argumenti maiestate, ex tam grandi belli ac pacis praesidio, ex hac ipsa, ut antiquus mos obtinet, togati viri ad hanc exornandam provinciam destinatione perpendite. Quantum ad me, ut ingenuus huic doctrinae redeat honos, nec fucatus ac meretricius triumphet apparatus, pudori ducam, per futes quasdam concertationes,

E

aut

aut inuolutas disputationum ambages excurrere; nudas et leporis inopes, notiones tradere; enervae languidasque originum Feudalium coniecturas, a nugigerulis magno pretio venditas, confectari; superstitiosas putidasque novarum vocum, quae e puro Latini sermonis fonte longe defleunt, etymologias exponere; ne inter seria videar acute somniare; et in speciem lusus erudita deliria iuventuti obtrudere. Praestat potius, non sine decore commentitias quasdam nescire opiniones, quam per summam temporis iacturam, poenitentiae ac doloris sociam, inaniis onerari; et minus, communi sapientum calculo, nocet rerum ignorantia, quam confusa illarum cognitio. Iuvabit tamen, retrusa huius Facultatis penetralia adire, arcanam inquirere doctrinam, fucce ac sanguine plenam comparare utilitatem. Siquid ingenio meo atque acumini deerit; vigilantiae et assiduitati profecto deerit nihil. Hae tantum in me sitae sunt; nec culpa carebo

rebo, si has deferam: illa non item; quo fit, ut si laus absit, venia tamen non negetur. Vos interea efficit, ut respondeat curis ac votis meis diligentia vestra, et maximus ille, qui in vobis residet, conatus; cui illud vniuersae difficile est, quod aggredi nolit; ardua quaeque facilia, dummodo aggrediatur. Excitet Praeceptoris animum, et vires augeat Auditorum alacritas. Mutuo foedere vtriusque labor nobilitetur: meus in docendo, futurus vestro profectu non inglorius; vester in addiscendo, pro mea expectatione a cunctis civium ordinibus commendandus: atque ea vos splendida honoris flamma accensos volo, quae tales ac tantos, non vulgi opinione, qua vel falsa virtus extollitur; sed sapientum iudicio, quo constans meritum probatur, vos in hac ornatissima Ciuitate reddat; ut quaesitam a maioribus vestris in hac Scientia famam vos superasse, nemo non videat; vestram, continenti studiorum cursu quaerendam, aut vincere, aut saltem aequare, posterius desperent.

